

catus et praebenda ecclesiae cathedralis non existat, pro totidem personis idoneis quas ad hoc duxeris eligendas, etiam si quaelibet personarum huiusmodi unum vel duo seu tria alia beneficia ecclesiastica similiter cum cura vel sine cura obtineat, si quae tempore reservationis huiusmodi vacabunt vel cum vacaverint, quae personae ipsae per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spatium, postquam eis vel dictis procuratoribus vacatio illorum innotuerit, duxerint acceptanda, conferenda personis eisdem post acceptationes huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, ac inhibendi districtius successoribus tuis episcopis Misnensibus, qui erunt pro tempore, ne de beneficiis huiusmodi interim etiam ante acceptationes easdem, nisi postquam eis constiterit, quod personae vel procuratores praedicti illa noluerint acceptare, disponere quoquo modo praesumant, ac nihilominus huiusmodi beneficia quae reservabis, si ut praemittitur vacant vel cum vacaverint singula videlicet beneficiorum huiusmodi singulis personis eisdem post acceptationes praedictas — conferendi et de illis etiam providendi, inducendi quoque — in corporalem possessionem beneficiorum iuriumque — ac faciendi eis de huiusmodi beneficiorum fructibus — responderi, — non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, — quibus omnibus praeterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus personas praefatas in eorundem beneficiorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari, seu si eisdem successoribus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede praedicta sit indultum, quod — excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis — nulli valeat provideri — mentio specialis, plenam et liberam concedimus tenore praesentium facultatem. Volumus autem quod illi ex personis praedictis, qui alia beneficia ecclesiastica incompatibilia cum illis quae eis contuleris obtinuerint, quam primum huiusmodi beneficiorum incompatibilium cum illis quae obtinebunt tunc vigore praesentium eis collatorum fuerint possessionem pacificam assecuti, dicta alia beneficia incompatibilia quae ut praefertur obtinuerint et quae ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur, quodque de nominibus et cognominibus personarum — attemptari<sup>1)</sup>. Datum Pisis Nonis Julii pontificatus nostri anno primo.

V. de Pala.

Pro Jo. Franceys.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen wie No. 806.

G. Stoter.

1) In den ausgelassenen Stellen stimmt der Text wörtlich mit No. 809 überein.

No. 811. 1409. 7. Juli.

*Derselbe bestätigt das vom B. Thimo auf der Burg Stolpen errichtete Collegiatstift.*

Alexander episcopus — ad perpetuam rei memoriam. Apostolicae benignitatis officium etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Thimonis episcopi Misnensis petitio continebat, quod olim ipse in castro Stolpen suae